

*et religioni præjudiciosum: sed debet ad Deum recurrere, in illo confidere, eique causam commendare: et quomodo?* — Quod si vero extraordinarie contingeret, etiam in tali casu debiliorem principem Catholicum sufficienti in sua justa causa aliorum justo ac licito auxilio destitui, solumque superesse Infidelium, aut hæreticorum auxilium nonnisi cum præjudiciosis Ecclesiæ, ac religionis conditionibus, aut gravi damno ejusdem inde secuturo præstandum, hoc, ut diximus, nullatenus invocare, multo minus acceptare potest, sed sub gravissimo peccato mortali respicere obligatus, inscrutabilia simulque justissima judicia divina, ac permissionem humillime adorare, et credere debet, quod cum non sit malum (pœnæ) in civitate, quod non fecit Dominus, nec fieri, nec omitti aliquid valeat sine divina ejusdem dispositione aut promissione, Deum vel ob suam, vel populi adimpletam peccatorum mensuram, vel ex aliis etsi occultis, tamen justissimis et sanctissimis causis malum hoc super ipsum, vel populum immittere, vel permittere ad ipsius et aliorum salutem spiritualem, et, si huic non obsit, majorem utilitatem temporalem suo emersuram.

180. Hinc cum resignatione in divinam voluntatem sequentes, aut similes virtutis actus heroicis sanctissime et utilissime producere poterit:

Juravi, et statuti custodire judicia justitiæ tuæ, et potius omnia perdere, quam aliquid eorum cum gravi tui offensa conservare, aut recuperare: Malo omni auxilio carere, quam ad deos alienos recurrere invocando Infidelium, aut hæreticorum auxilium gravi cum damno Ecclesiæ, et Dei mei injuria: longe præstat, ut ego et domus mea jacturam temporalem, quam ut Ecclesia et religio, indeque innumeræ animæ pretiosissimo sanguine Christi redemptæ, spirituales patiantur jacturam.

Justus es, Domine, et rectum judicium tuum; obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti.

Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.

Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.

Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me, melius mihi est terrestre quam cœleste regnum perdere.

Quid enim mihi prodest, si mundum universum lucrer, animæ autem detrimentum patiar?

181. Debet etiam, et potest secure confidere in Deo, qui sicut facile potest, ita ordinarie solet, mire juvare illos, qui spretis auxiliis illicitis in ipso firmiter confidunt, et confidentes dicunt:

Non est tibi difficile salvare vel in multis, vel in paucis.

Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos.

Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.

Non timebo millia populi circumdantis me; exsurge, Domine, salvum me fac.

182. Veruntamen non sicut ego, sed sicut tu vis: sicut fuerit voluntas tua in cœlo, sic fiat.

Tuum est regnum, Domine, tua potentia, etc. A te, quæ habeo, possideo, et propter te despicio.

Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in ea.

183. Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.

Ad hos, et similes actus, si contempto præjudicioso Ecclesiæ auxilio, in præfato extraordinario casu elicerent principes Catholici, utique mirum in modum experientur auxilium divinum, ac summopere promoverent gloriam Dei, et bonum Ecclesiæ, sibi que et domui suæ temporaliter, et spiritualiter longe magis consulerent, quam si timore Dei, et confidentia in ipsum postpositis, ad male conditionata, vel alias præjudiciosa Ecclesiæ et religionis auxilia inique recurrant, providentia divina cuncta ita disponente, dirigente, et permittente, ut cum tempore cuique reddatur juxta opera sua, ut vel statim, ac de præsentem, vel saltem in filiis puniantur, et præmientur facta parentum, uti patet exemplis infra a n. 199. ponendis.

184. Et hactenus quidem, videlicet quod princeps Catholicus non possit Infideles, aut hæreticos juvare, vel auxilium eorum pro conservandis, aut recuperandis bonis temporalibus jure sibi debitum, sicque in bello justo invocare, aut fœdus cum illis inire sub conditionibus Ecclesiæ, et religioni Catholice graviter præjudiciosis, vel cum manifesto

periculo gravis damni eidem inde certo secuturi, certa et indubitata sunt apud doctores.

185. *Controversia an absolute sit illicitum, Infideles, aut hæreticos pro auxilio invocare, vel hoc eis præbere.* — Magna autem controversia est inter eosdem, num liceat memoratos Infideles, aut hæreticos juvare, vel illorum auxilium invocare, aut fœdus cum eisdem inire, si nullæ conditiones Ecclesiæ, aut religioni præjudiciosa, nec alias illicitæ, sed honestæ adhibeantur, et aliunde nullum Ecclesiæ, vel religionis periculum subesse, aut damnum prævidetur.

186. *Sunt, qui absolute asserunt.* — Circa quam controversiam, licet non desint, qui negativam acerrime defendunt, docendo, absolute et semper illicitum esse cum Infidelibus, ac hæreticis inire fœdera, illosque juvare, et auxilium eorum invocare saltem contra principes Catholicos; quia putant, nunquam fieri posse, quod fœdus cum Infidelibus ineatur, vel auxilium eis præstetur, vel petatur ab eisdem, quin vel scandalum, vel præjudicium Ecclesiæ et religionis directe aut indirecte sequatur. Tamen aliquantulum mitius loquendo.

187. *Regulariter et ordinarie loquendo illicitum et impium est, Infideles, aut hæreticos pro auxilio vocare, vel hoc eis præstare, vel fœdus cum illis inire, præsertim contra Catholicos.* — Resp. V. Quamvis regulariter, ordinarie, et communiter loquendo, illicitum, et graviter peccaminosum sit principibus Catholicis, cum Infidelibus, vel hæreticis belli fœdus inire, illosque in bello etiam justo juvare, vel auxilium illorum invocare contra alios saltem principes Catholicos; nihilominus dantur casus aliqui, in quibus id licitum est, tunc videlicet, quando nullæ adhibentur conditiones Ecclesiæ, ac religioni graviter præjudiciosa, simulque moraliter certo apparet, quod ex tali fœdere, vel auxilio nec scandalum, nec grave aliquod Ecclesiæ vel religioni damnum aut præjudicium sequi valeat; et multo magis, quando tale fœdus redundat in certum emolumentum Ecclesiæ, vel necessarium est ad averendum longe majus Ecclesiæ et religionis damnum.

188. *Probatum I. Ex sacris litteris.* — Prima pars conclusionis, quod videlicet ordinarie loquendo, illicitum sit, tenent Layman, lib. II, tract. III, cap. XII, Molina, de J. et J. tr. II, disp. 112, num. ult. Sua-

rez, de Bell. disp. 13, sect. 7, num. 25. Palao, p. 1, tr. VI, disp. 5, pun. 3, n. 18, et pun. 6, num. 10. Bonacina, Simon Majolus, Besoldus, et ex professo peregrine Pignatelli, t. IX, consult. 185, per totum, cum communissima et certa aliorum.

189. Probatum hæc prima pars conclusionis ex sacris litteris, ubi passim habetur, quod Deus simili fœdera cum Infidelibus graviter prohibuerit, et contra agentes severe puniverit. Audiamus ex plurimis alios saltem hujusmodi textus. Exodi 23, in fine. Fideli populo suo expresse prohibet Deus: Non inibis cum eis (infidelibus) fœdus, nec habitent in terra tua, ne forte faciant te peccare in me: et cap. xxxi: Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, nec in eas pactum cum hominibus illarum regionum. Item Deuteronomi 7. Non inibis cum eis fœdus.

190. Cum Asa rex judex Paralipom., lib. II, cap. xvi, vires Baasæ regis Israelis formidans, sub certo pacto in auxilium vocaret Benadad infidelem regem Syriæ illis verbis, Fœdus inter me et te est; pater quoque meus, et pater tuus habuere concordiam. Quam ob rem misi tibi argentum et aurum: illico missus a Deo fuit ad illum Naamam propheta, qui cum interpretationibus et minis ei diceret: « Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua. Nonne Æthiopes, et Libyes multo plures erant quadrigis et equitibus, et multitudine nimia, quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tua: » Subjungit Dei rationem, quare spreto, et neglecto illicito auxilio hominum in Deo fiduciam ponere deberent principes, « Oculi enim (ait) Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti, et propter hoc ex præsentem tempore adversum te bella consurgent. »

191. Amasias item rex Judæ cum contra Idumæos bellaturus, in auxilium sumpsisset ex Israel, qui relicto cultu Dei vero, in idolatriam cum Jeroboam deflexerant, centum millia robustorum centum talentis argenti, 2. Paral. 25. Jubente Deo venit ad eum propheta, dehortans eum ab isto ipsorum auxilio: O rex, ne ingrediatur tecum exercitus Israel; non enim est Dominus cum Israel, ut cunctis filiis Ephraim. Et ut confundantur principia politicorum, qui dif-

fidentes auxilio divino, vel omnem vel potissimum spem suam ponunt in brachio carneo, et robore exercitus, addit propheta ibidem: Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus. Dei quippe est, et adjuvare, et in fugam convertere. Paruit sancto consilio Amasias, et abjecto Infidelium auxilio, spreteque jactura centum talentorum, quæ Infidelibus jam expenderat, cum solo fidei populo victor contra Idumæos gloriosus evasit.

192. Huc facit illud, quod propheta improperavit Josaphat regi Judæ, dum impio præberet auxilium, 2. Paralip. 19. Impio præbes auxilium, et his, qui oderunt Dominum amicitia jungeris; et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera tua inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra tua.

193. *Probatur II. Oraculis pontificum SS. Patrum et doctorum.* — Probatur secundo oraculis SS. Pontificum, SS. Patrum, et aliorum doctorum. Enimvero Clemens VII, Clemens VIII, significari fecit Henrico IV, regi Galliæ, quem ceu filium unice diligebat, ut videre est in Epistol. 327, cardinalis Ossati: « Majestatem ejus credere non posse, quanti sibi doloris argumentum sit, quod inimicos Dei tam perfidos, et adversus Sedem Apostolicam exacerbatos, qui anno tertio tot sacrilegia, et abominationes contra Ecclesias locaque sacra perpetrarunt suppeditis, et favore sublevari ab eo concernant, quam S. Sedes tam bono animo, quibuscunque potuit modis, et rationibus complexa est, pacem regno ejus intus et foris procuravit. »

194. B. Pius V. Papa societatem regis Franciæ cum Turcarum rege damnavit, eumque labem Franciæ vocavit, uti habetur apud Francis. Long. Coriolan. in Breviar. Chronol.

195. Joannes VIII, Cum quidam Italiæ principes ac populi pro commodo suo temporali cum Saracenis fœdus iniissent, ut eorum viribus res suas neglecto Ecclesiæ detrimento stabilirent, diversis epistolis ad eos exaratis, rem tanquam gravissimi sceleris atrocitatem execratus est, dum eam epistol. 35 et 46, vocat impium scelus, ibidem societatem ad perditionem animarum initam. Hinc hortatur, suadet, et auctoritate Apostolica præcipit hujusmodi pacta, et fœdera disrumpti, misimus, inquit, Vultertum

Portuensem, et Eugenium Ostiensem, ut pactum illud, quod perditionis est causa, dissolvi per omnia suaderent. Et epistol. 38, iterumque atque iterum exhortamur, ut Christiani nominis viri paganorum fœdera fugiant, et solum in Deum, qui eos creavit, et non in diaboli membra, quæ sunt fornicationes, et vasa iræ, spem suam ponere discant.

196. Quibus suasionibus non contentus, etiam præcepta, et quidem sub excommunicatione adhibuit Epistol. 40, et iterum Epistol. 292, ad episcopum præfectum, totumque populum Amalphitanum: Quod si in tali impio scelere, diabolo persuadente amplius permanere præsumperitis, et ipsum pactum de præsentibus non corruperitis, præcipimus huic episcopo nostro Dominico, ut vice nostra omni ecclesiastica communione privare procuret. Ubi specialiter notandum cum Pignatelli, loc. cit. hoc fœdus initum non fuisse cum expressis conditionibus Ecclesiæ præjudiciosi; et tamen a Papa reprobatum et damnatum esse; quia saltem indirecte nocebat, et præjudicabat Ecclesiæ ac religioni.

197. S. Chrysostomus in Matth. homil. 4, cum historiam et fœdus Josaphat cum impio Achab examinaret; « Vides (inquit) quia nec dare potuit auxilium inimicis Dei nec ab eis accipere. Quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos supra dicta historia de Asa. Quoniam vero nec dare, instruit nos hæc historia de Josaphat; qui enim petit auxilium ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat, utiliores sibi existimans, inimicos Dei, quam Deum. Qui autem dat auxilium inimicis Dei, adversatur Deo; Deo enim volente contere inimicum suum, ipse eum defendere tentat. »

198. Similia piissimo tunc temporis imperatori vi fœderis hæreticis libertatem, præcise concedenti scripsit S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 46. Item Theodorico, ac Theodoro regibus Francorum S. Gregorius, lib. VII, Epistol. 16. Pientissimum, inquit Nazianzenus, « Imperatorem doceat, nihil ex reliquo ipsius erga Ecclesiam studio redditurum esse utilitatis, si tale malum ad fidei sanæ eversionem, eorum hæreticorum libertatem, licentiamque prævaleat. Ad quod doctissimus Pignatelli, cit., tom. IX, consulat. 185, n. 42. Audis, inquit, regum socordiam in reprimenda hæreticorum licentia, omnem eis honorum operum zelique

fructum tollere? Quid eis igitur expectandum, qui licentiam hæreticorum non modo non comprimunt, sed temporalis æmulatione principatus accedunt, et ad eversionem ecclesiarum eis laxissimas habenas, adeoque subsidium præbent? Qui membra Christi non solum hostibus ejus conculcanda permittunt, sed de industria calcanda tradunt, easque, qui tenentur libertatem fidei, religionisque suæ ferro sternunt, et innocentem, clamantemque in cælum sanguinem fundunt? Neque tales forsitan, neque Christiano nomine dignaretur par utriusque Gregorio, qua eruditione, qua sanctitate Basilius, epistol. 192, quantumcunque de cætero recte vivere, et pietatem studiis suis prætexere viderentur: Non Christiani, inquit, sunt tales, sed Christi negotiatores, qui quod præsentis vitæ commodum est, vitæ ex veritate ducendæ præferunt, ubi inanem hunc principatum adipisci se posse arbitrati sunt, inimicis Christi se sociarunt, ubi populum irritari viderunt, rursus fidei rectitudinem præferunt, sunt verba Basili; » hucusque ille.

199. *Probatur III, pœnis, quibus Deus punivit catholicos, infidelium, vel hæreticorum auxilium implorantes.* — Probatur tertio gravissimis pœnis, quibus Deus illos punivit, qui cum Infidelibus, et hæreticis fœdus iniere, eosque in auxilium vocavere. Quorum exempla tam ex sacris, quam profanis historiis plurima lectu dignissima affert Pignatelli loc. cit. a num. 52. usque ad num. 78. Nos aliqua tantum breviter ex illo hic adducamus. Et imprimis qualiter Deus regibus Asa, Josaphat, et Amasiæ propter fœdus cum Dei inimicis partim minatus fuerit, partim inflixerit pœnas, patet ex dictis supra a num. 190.

200. Judas Machabæus, qui divino fretus auxilio oppressam tunc fidelem gentem suam exigua suorum manu erexerat, hostesque prostraverat, quam primum cum Romanis tunc paganis, et quidem primus omnium fidelium fœdus iniit, eosque in auxilium vocavit, infelici interitu confestim pœnas dedit, et stantem jam, florentemque rempublicam suamque iterum prostravit. — Nam eo ipso anno, ac pene mense, antequam vel legati Roma redissent, ipse Judas cum fiore exercitus prostratus, unus fratrum interfectus, alii duo Jonathas et Simon vel exules in desertum pulsati, tota regio cum urbibus, et præsiidiis in De-

metrii potestatem tradita; talisque facta tribulatio in Israel, et qualis non fuit ex die, qua non est visus propheta in Israel, 1<sup>a</sup> Machab., 9.

201. Jonathas Judæ frater, et in Principatu successor, post paucos annos idem fœdus cum Romanis iniit, sed malo etiam effectum; nondum enim Jerosolymam reversus legatis ipse cum duobus filiis, et mille viris prodicione Thryphonis interfectus est, et respublica iterum coniecta in summum periculum, Deo diffidentiam in divinum, et fiduciam in auxilium Infidelium puniente.

202. Inter exempla in Ecclesia Dei plurima sunt etiam, quod Eudoxia Augusta cum Vandalos Arianos hæreticos auxilii causa contra Maximum in Italiam accerseret, Deo vindice cum filiabus Eudoxia, et Placidia in Africam captivæ ductæ sint. Paulus Diaconus lib. IV. Histor. Miscell. et Procop. lib. I, de Bello Vandal.

203. Bonifacius comes dolo Aretii rebellionis injuste accersitus, quando ab impiorum auxilio abstinens, divino auxilio fidit, superior fuit adversariis suis, ducibus Mavortio, et Gallione interfectis: quamprimum vero auxilio divino diffidens Vandalos Alanosque hæreticos in interitum Ecclesiæ Africanæ, et Catholicæ fidei, pro auxilio in Africam evocavit, adfuit continuo etiam pœnitenti ultor Deus: Nam cum Vandalis pugnavit victus est, et Hippone obsessus, et superatus misere perit. Idem qui supra.

204. Quam infelicem exitum habuerit, et quam graves pœnas Francisco I. Galliarum regi, ejusque posteritati, totique regno attulerit fœdus, quod idem Franciscus cum Turcis iniit contra Carolum V, ad horrorem, et stuporem usque, passim legere est in historiis.

Palæologi dum inter se de imperio decertant, et inito cum Turcis fœdere in Europam eos advocant: mercedis loco imperium eorum primo a Turcis invasum, inde precario obtentum, filii facti Turcam Janizari, Regnum amissum, Constantinopolis capta, stirps Palæologorum radicibus excisa est Chalcondyles lib. I et II, de Rebus Turcicis.

205. *Probatur IV ex jure.* — Quarto probatur, præsertim contra eos, qui vi fœderis juvant Infideles, et hæreticos per jura supra num. 158 et num. 159, allegata. Accedunt actuales excommunicationes, quibus summi Pontifices innodarunt principes, et

populos Catholicos cum Infidelibus, et hæreticis fœdus ineuntibus, inter quas fuit etiam illa, qua Joannes VIII, aliquoties actu excommunicavit quosdam principes Catholicos ob belli fœdus, quod cum Infidelibus habebant in damnus Ecclesiæ saltem indirecte inde secutum uti inter alia patet ex illius Epist. 22, ibi: Virtute sancti Spiritus et auctoritate sancti Petri, cui ligandi et solvendi, et solidandi in cœlo, et in terra in Domino concessa est potestas, omni sacra communione, una cum totius Apostolicæ Sedis consensu privavimus, et ab Ecclesia Dei societate separavimus, ut in eadem excommunicatione maneat, donec, etc. Et cum aliqui ab excommunicatione absolvi peterent, respondit: Epist. 41. Absolvite vos prius colligationes impietatis, et fœdus impium, quod cum inimicis Christi habetis compositum, et nos illico misericordiam, etc. et infra: In scelere impio manentibus miserandum non est.

206. Item excommunicatio tribus vicibus lata in Bulla Cœnæ in omnes, qui belli causa auxilium, consilium, aut favorem quomodolibet præstant Infidelibus, aut hæreticis.

207. Quinto probatur ratione: quia licet princeps Catholicus fœdus cum Infidelibus, aut hæreticis sub præjudiciosis conditionibus Ecclesiæ, et religioni non ineat, nec sub iisdem auxilium ab eis petat, nec illis præstet, neque etiam scandalum vel damnus Ecclesiæ aut religioni inde secutum certo prævideat, tamen ordinarie loquendo, præfatum scandalum, aut Ecclesiæ et religionis damnus directe, aut indirecte sequitur, teste experientia, præsertim cum tam Infideles erga Christianos; quam hæretici erga Catholicos, vel potius Ecclesiam et religionem Catholicam raticatum, ac implacabile odium et aversionem habeant, vicius quandoque possunt, etiam cum arctissimo fœdere contra Catholicos uniti, et ubi minime prævidetur, Ecclesiæ et religioni d'recte ac indirecte nocere, aut præjudicare, suamque falsam, sectam promoveri, ac dilatare, seque a præstare, ac potentiores efficere conantur: quod plurimis exemplis demonstrat Pignatelli cit. tom. 9. Consultat. 185, et multipliciterque recentissima experientia confirmatur, qua constat, quod fere nullum fœdus Catholicorum principum cum Infidelibus et hæreticis fuerit, nec auxilium eorum invocatum, vel eisdem præstitum saltem contra principes Catho-

cos sit sine gravi aliquo Ecclesiæ, ac religionis damnus aut præjudicio. Ab exemplis hujusmodi recentibus in specie consulto abstrahimus, eaque considerationi lectoris relinquimus.

208. *Repetitur conclusionis prima pars.* — Interea concludimus, quod cum juxta certam, et unanmem doctrinam a num. 160, usque ad num. 187, positam, impium, iniquum, et graviter peccaminosum sit, causa belli etiam justi cum Infidelibus, aut Hæreticis etiam absque positivis conditionibus Ecclesiæ aut religioni graviter præjudiciosis fœdus inire, vel auxilium eorum invocare, aut juvare eosdem præsertim contra Catholicos cum gravi scandalo, aut damnus Ecclesiæ et religioni directe, aut indirecte inde secutoro: Tale autem scandalum, vel grave damnus ac præjudicium Ecclesiæ, et religioni Catholicæ ex hujusmodi fœderibus, et auxiliis petitis, vel præstitis, ordinarie sequantur, juxta dicta; consequens est, quod prima pars conclusionis num. 187, positæ dicit, videlicet, ordinarie et regulariter loquendo, impium, iniquum, illicitum, et graviter peccaminosum, utpote Ecclesiæ et religioni directe, vel indirecte graviter præjudiciosum esse cum Infidelibus, et hæreticis belli fœdera inire, eosque juvare, vel pro auxilio invocare, præsertim contra principes Catholicos, etiamsi conditiones Ecclesiæ, et religioni graviter præjudiciosæ, aut alias positive iniquæ non adhibeantur.

209. *Dantur casus, in quibus licitum est, cum infidelibus, et hæreticis fœdus inire, eosque in auxilium vocare: quando, et quare?* — Altera dictæ conclusionis num. 187, positæ pars, scilicet, quod nihilominus dentur aliqui casus, in quibus id licitum est, tunc nempe, quando nullæ adhibentur conditiones Ecclesiæ, et religioni præjudiciosæ, vel alias illicitæ, simulque moraliter certo apparet, fœdus cum Infidelibus, aut hæreticis iniri, vel auxilium illis præstari, aut peti ab iisdem manifesto cum emolumento et commodo Ecclesiæ et religionis, vel certe nullum exinde scandalum, nec grave aliquod damnus Ecclesiæ, aut religioni sequi posse, vel denique si ad avertendum majus Ecclesiæ, ac religionis malum necessarium videtur. Probatur hac ratione, videlicet, quia uti bene advertunt Layman, lib. II. Tr. 3, cap. XII, num. 6. Molina, de *Justit. et Jur.*

2. Disp. 12, n. ult. Panormitanus in c. 8,

*de Voto et voti redempt.* num. 15. Decianus vol. 3. Consil. 20. Bocerus Tr. *de Bello.* cap. VI, num. 16, et alii; fœdus cum Infidelibus, aut hæreticis inire, vel auxilium ab eis petere, aut præstare eisdem, non ex se, et natura sua, sed ratione scandali et periculi damnorum, quæ Ecclesiæ, et religioni inde ordinarie sequuntur, illicitum est; consequenter ubi omne tale periculum abesse moraliter certum videtur, et multo magis, si etiam commodum, et emolumentum Ecclesiæ inde sequi, vel majus Ecclesiæ malum averti, aperte conspicitur, id licitum erit.

210. Confirmatur: quando Catholicus aliquis privatus, inique, et sine omni justa causa vellet alium Catholicum, vel etiam Saracenum, aut hæreticum occidere, nemo negat, quin contra iniquum aggressorem posset Catholicus Turcam aliquem, vel hæreticum vel hic Catholicum a longe stantem in auxilium vocare, unusque alteri auxilium impertiri, arg. 1. *Ut vim.* 3, ff. de I. et I. cum concordantiis. Pariter si duo vel tres malitiosi Catholicos colluderent, ad occidendum vel spoliandum unum Catholicum, et duos hæreticos aut Infideles, possint hi tres fœdus inire, de mutuo ferendo auxilio, quodcumque aliquis eorum injustam aggressionem a malitiosis illis patiat: arg. cit. l. 3, ff. de I. et I. ergo ex se, et natura sua malum, et illicitum non est, cum Infidelibus, aut hæreticis inire fœdus, vel auxilium illorum implorare, aut id eisdem præstare, sed tantum ratione scandali, aut gravis damni Ecclesiæ, aut religionis, quod inde ordinarie sequitur; aut si conditiones Ecclesiæ et religioni præjudiciosæ abhibentur; sic enim etiam in primum dictis casibus non posset Catholicus ab alio Catholico injustam aggressionem patiens, ac timens dicere ad hæreticum vel Turcam; Juva me, si juvas me contra hunc iniquum aggressorem, tuam sectam amplectar, vel procurabo, quod Lutherani in hac, aut illa Provincia Catholica habere possint liberum exercitium religionis suæ, vel, quod eis cedatur hæc vel illa civitas, vel provincia Catholica, etc., vel committam adulterium, etc. Et ex hac secunda parte conclusionis inferuntur sequentes doctrinæ practicæ.

211. *Sequuntur casus practici in specie, in quibus hoc licet.* — I. Posset Imperator auxilium præstare regi Sueciæ contra regem

Daniæ, vel Prussiæ, vel hinc contra illum hac conditione, si auxilium accipiens restituere velit Ecclesiæ hunc, aut illum episcopatum, vel cedere auxilianti Catholico hanc vel illam civitatem, aut permittere in suis acatholicis provinciis ædificationem ecclesiarum Catholicarum, atque prædicationem, et exercitium religionis Catholicæ; dummodo auxiliatricibus copiis Catholicis boni adjungantur castrenses pastores, et capellani Catholici; bellique ducibus in mandatis detur, quatenus copias Catholicas ita servant conjunctas, aut dispositas, et collocatas, talique modo regant, ut nullum periculum scandali copiis Catholicis secuturi prudenter timeri valeat.

212. II. Posset idem Romanus imperator aliquis, aut respublica Veneta, adhibita præfata de evitando omni periculo scandali cautela auxiliares copias præbere Turcarum imperatori contra Persas, vel alios Infideles, hac conditione, si Turca auxilianti Catholico credat aliquod regnum, provinciam aut insulam, v. g. Serviam, Candiam, vel Terram sanctam, vel si permittant liberum Catholicæ religionis exercitium in suis Regnis, etc.

213. III. Posset rex Galliæ, vel Hispaniæ, vel alius princeps Catholicus in bello justo juvare Anglos contra Hollandos nunc hæreticos, vel hos contra illos cum simili conditione evidenter utili Ecclesiæ, et religioni Catholicæ, v. g. si Angli iterum admittant in Hibernia Pastores Catholicos et religiosos, eisque monasteria restituant; vel si exercitium religionis Catholicæ liberum in tota Anglia permittant, etc., aut Catholicis aliqua cedatur provincia. Ratio patet, quia in his tribus et similibus abest scandalum, et Ecclesiæ damnus, simulque adest evidens ipsius commodum.

214. IV. Posset princeps Catholicus cuivis Infideles, aut hæreticos invocare pro auxilio contra illos Infideles, vel hæreticos, v. g. regem Daniæ, et Prussiæ contra regem Sueciæ, hos et alios hæreticos, vel etiam regem Persarum contra imperatorem Turcarum; dummodo id fiat sine aliqua Ecclesiæ et religioni graviter præjudiciosa conditione, et sufficienter præcaveatur scandalis: Unde teste Pignatelli Tom. 9, consult. 185, n. 89. Strumius in lib. *de Administrat. bell. Turc.* p. 3, suadet Imperatori Catholico, ut perpetuum fœdus habeat cum Mosco, et Persarum rege contra imperatorem Turcarum,